

ORATIO,

de

recta liberorum educatione,

Habita Norimbergæ,

Festo Johannis Baptistæ,

anni

M. DC. XLII,

à

Johanne Michaële Dilherro, SS. Theol.

& Philosoph. P. P. in Univ.

Jen.



Philos.

C.

04,10


Typis Wolfgangi Endteri.

ORIGINELE

BRANDSCHMIDT

BRANDSCHMIDT

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



**Liberæ atque Imperialis Reip.
Norimbergensis**

Nobilissimis & Magnificis Dominis,

Duumviris,

Septemviris,

Scholarchis, &

universo Senatorum Amplissimorum

Ordini: Dominis ac Patronis meis humili-
ter colendis,

S.D.

Lissu vestro, Patres Patriæ meritif-
simi, Mecœnates maximi, Ev-
ergetæ faventissimi, in publicum
protrudo immaturum hunc exilis
ingenii fœtum, tanquam informem
Urse catulum: quem diligentius lambendo com-
ponere, & efformare debuissim. Sed maluistis, ut
ocysus parendo, meam in Vos Observantiã; quàm,
longius pariendo, accuratiorem aliis Doctrinam
demonstrarem.

*Prætereais est Vester in me adfectus; ut tenu-
issimam isthanc Oratiunculam non benignè solum
audiueritis: sed eandem etiam aliquid esse existi-
maveritis. Ea enim Vestra est vis Benevolentia;
ut, quemadmodum quæ per pellucens vitrum ad-
spiciuntur, videntur grandiora: ita, quæ in me sunt
parva, adsumtis quasi Amoris specillis, majora ad-
pareant.*

*Suscipite igitur, Patroni devotè observandi,
sermonem hunc, inter varias Amicorum compel-
lationes, absq; ullo librorum meorum præsidio, na-
tum, animo eo, quo me ipsum suscepistis, hoc est, pa-
terno: Et si quid in eo peccatum esse judicaveritis;
culpæ causam in Vobis (quibus promptè obtempera-
re debui) esse agnoscite, Et mihi ignoscite*

Nobilissimarum Vestrarum
Magnificentiarum

observantissimo clienti

Johanni Michaëli Dilherro,

*Dab. Norimb. Festo
Joh. Baptistæ, anni
M. DC. XLII.*

ORA-



ORATIO

de

recta liberorum educatione.



Uanquam artis dicendi non penitus videri possim ignarus; quippè qui annos aliquàm multos pubi Academicæ tradere eam, & exponere debuerim: augustus tamen hic Vester confessus, & conspectus venerabilis, me non parùm commovet conturbatq;. Videor enim mihi videre veterem curiam Quiritium; cùm hos Virtutis Antistites, & Reipublicæ Atlantes conspicio.

Quod si Marco Tullio non vor sum vitio, cùm Senatus Romani intuitu non nihil terreretur, & linguam, aliàs tam facundam, sufflaminari sentiret; mihi quoq; veniam, si me concuti, & exiguos Eloquentiæ igniculos propemodum exstingui profitear, denegatum non iri confido: maximè cùm incredibilis humanitas, quam Vester mihi vultus pollicetur, tempestivis mihi suppetiis occurrat.

Animo igitur in vires collecto, dicendi campum liberiùs ingrediar: ac die hoc festo, quo nativitatem pueruli, inter natos mulierum maximi, Johannis Baptistæ, recolimus, de recta liberorum educatione disertabo.

A 3

Cùm

Cùm enim quidam, quorum voluntas mihi sancta est, me, nutu Fati huc delatum, commonerent; ne tacitus hinc, ad Musas meas Sionias & Heliconias, discederem: viriculas meas excutiens, rem aliam nullam mihi convenientiorem esse arbitratus sum, de qua in præsens sermocinarer, quàm juventutis informationem; utpotè à professione mea nec alienam, nec planè mihi ignotam.

De hac ipsa dum dixerò; Vos, *Auditores, ex omnibus Ordinibus mihi humiliter de venerandi, colendi, amandi, rogo & oro; benignè me & benevolè audiatis. Ne quid vobis tædii suboriatur; Laconismo mihi familiari præcavebo.*

Virtutem tam inermem, quæ moralis est; quàm armatam, quæ Lex est, Reip. maximè esse necessariam, nemo sanæ mentis negabit. Virtus autem cùm, secundum Philosophos, sit habitus, crebris comparetur actionibus, ac præviam institutionem requirat: manifestum est, primam Reipubl. curam esse debere, ut & qui imperant, & qui parent, Virtutis studio imbuantur; sive, quod idem est, dextra informatione educantur: sine qua leges sunt inanes, & vani omnes dehortationum clamores:

fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Contrà verò beata est Resp. in qua plus valent probi mores, quàm bonæ leges. Præclarè aliquis Politicorum: *Si de futuri seculi Reipubl. prognosticon quæris;*
Juven-

Juventutem & educationem inspice: ac inde fausta quæq; ominare. Quia, ut dicebat Pericles, juven-
tus, instar veris & germinum, spem & messem fu-
turæ Reipublicæ continet. Non est tam vecors archi-
tectus, qui, fundamento non rectè collocato, ædificiū
ausit promittere firmum & inconcussum: & Ec-
clesiam, aut Rempubl. florentem nobis polliceamur,
si rectè nemo vel ad hanc, vel ad illam educetur?

De comportandis, & proli suæ reservandis, auri
acervis, quandoq; solliciti sunt parentes: de ejusdem
verò institutione cogitant rarissimè. Opus his esset no-
vo aliquo Cratete, qui, ut olim, altissimum civitatis
locum adscenderet, & denuò exclamaret: *Quò feri-
mini, ô mortales, qui ad possidendas opes magno
studio incumbitis: filiorum verò, quibus illas relin-
quatis, curam geritis exiguam.*

Antè verò, quàm ulteriùs provehamur; non pos-
sumus ipsam prætereire *liberorum generationem*,
Cùm enim plerumq; natura & affectus parentum, in
liberos transfundantur: viris, de honestis & benè mo-
ratis cogitandum uxoribus; è quibus generosæ pro-
lis spes concipiatur. Laudantur à Plutarcho Lacedæ-
monii, qui Archidamum, ipsum Regem suum, mul-
tare pecunia non dubitarint, quòd uxorem parvulam
sibi matrimonio jungere nō erubisset; subjicientes:
robustam prolem sibi inde non sperandam.

Quod

Quod hi de corporis habitu senserunt; idem de animi indole, in prolem derivanda, judicandum.

Tàm accuratè veteribus hoc observatum, ut, ad benevolentiam conjugialem, aut omninò abstemii, aut modicè saltem vino usi, accederent; malè moratos, vinosos, & ebriosos, fieri liberos arbitrati, quorum parentes primo satum humore Bacchi nimiùm fuissent conspersi.

Ea de causa & Diogenes, adolescentem effrenem & insipientem conspicatus: *Juvenecule*, inquit, *te pater tuus genuit temulentus. Generationem esse opus Divinum, & immortale, in animali mortali*, agnovit Plato; *& omnium naturæ operum maximum*, confessus est Galenus; & homo tàm putidè eam profanet! Adire admiranda illa adyta non nisi cum veneratione debebat: quòd error unus omnem possit inquinare posteritatem; quæ nonnunquam insipidæ cujusdam ac brevis oblectatiunculæ longas luit pœnas.

Natus jam infans, è scito Majorum lacte materno, nisi vis quædam major prohibeat, non alieno, nutriatur.

Vidistis né, Auditores, unquam vel ovem, vel lupum, qui fœtum suum deseruerit, aut alteri alendum tradiderit? & homo, illud Dei figmentum & simulacrum, fœtum suum deserat, & alendum tradat

tradat alteri! exclamat Epicteti commentator Arrianus.

Sibi postmodò imputent delicatæ istæ materculæ, si liberi nullam in ipsas pietatem, nullum ostendant amorem; cujus initia unà cum lacte in uberibus exaruerunt. Sibi tribuant causas morborum, cum quibus pignora conflictantur. Cùm enim soboles in utero tot mēsis sanguine matris fuerit sustentata; nullum adipisci potest alimentum naturæ suæ accommodatius, quàm lacte ejusdem matris; quod à sanguine rubicundo, sola ferè differt albedine.

Servulorum & famularum, quæ accrescentem sobolem custodiant, curiosum habere delectum fas est: ne qua labes tenellæ ætati, quæ mores aliorum avidè intuetur & imitatur, adfricetur.

Ea de causa Plato in sua Republ. nutrices cum infantibus convenire in trivio jubebat: ut illarum mores faciliùs in publico notarentur.

De hujus curæ neglectu, suo tùm seculo Fabius: *Fam primùm, ait, cuiq; filius, ex casta parente natus, non in cella emta nutricis; sed gremio ac sinu matris, educabatur: cujus præcipua laus erat tueri domum, in servire liberis. Eligebatur autem aliquanatu major propinqua, cujus probatis spectatisq; moribus omnis cujuspiã familiæ soboles committeretur; coram qua neq; dicere fas erat, quod*
B . turpe

turpe dictu; neq; facere, quod inhonestum factu vi-
deretur. At nunc, pergit idem, natus infans dele-
gatur Græculæ alicui ancillæ; cui adjungitur u-
nus aut alter servus, plerumq; vilissimus, nec cui-
quã serio ministerio accommodatus. Horũ fabulis
Et erroribus teneri statim Et rudes animi imbuun-
tur. Nec quisquam in tota domo pensi habet, quid
corã infante aut dicat, aut faciat: quando ipsi pa-
rentes nec probitati, nec modestiæ parvulos ad sue-
faciunt; sed lasciviæ Et libertati: per quæ paulatim
impudentia irrepit, Et sui alieniq; contemptus.

Ita prudentissimus ille juventutis magister Quin-
tilianus: à quo, quantum ad illud sobolis erudiendæ
studium attinet, non abludit Sanctus Pater Hiero-
nymus, præcipiens, ut præcipua habeatur cura
animæ, quæ futura est templum Dei. Nihil aliud
discat audire, nihil loqui; nisi quod ad timorem Dei
pertineat. Turpia verba non intelligat; cantica
mundi ignoret.

Et verò hodiè animus posthabetur; corpusq; co-
litur exquisitè; etsi mens cujusq; i est, qui esse potest;
nõ ea figura, quæ solet digito monstrari. Sed hoc est in
regno stultitiæ commune, ut, quarum rerum minor
est fructus; Et cupiditas, Et delectatio sit major,
velut observavit Franc. Petrarca. In

In vitæ hujus nostræ decursu multa sunt, quæ extolluntur, & deprædicantur: Nobilitas; Divitiæ; Gloria; Pulcritudo; Sanitas; Robur: sed Nobilitas, bonum est Majorum: quorum virtutes nisi & ipsi possideamus; *bonæ gallinæ mala ova*, vel, uno verbo, degeneres erimus dicendi: quos Comicus *familiæ suæ vibices*; Ebræi, *dulcis vini acerbum acetum*, vocare consueverunt. Divitiæ, sunt possessio Fortune: quæ sæpè habentibus aufert; nec opinantibus adfert, eisque nonnunquam sceleratissimos locupletat. Gloria venerabilis quidem est; sed instabilis: & quem modò in Honorum conspiciamus fastigio, eundem mox in infimis ignominia subseiliis deprehendimus. Sanitas est desiderabilis; sed facilè mutabilis, eamque vel musca potest intervertere. Robur est utile; sed morbo & senectute corruptibile. Et quæ eminentia in eo, quod bruta possident perfectiùs? Quotus-enim- quisq; est, qui robore cum elephanto, tauro, aut leone possit cõtendere? Duæ autem præcipuè sunt prærogativæ, quibus maximè præcellimus: Ratio, & Oratio. Et Ratio quidem est princeps Orationis, ut judicat venustissimus Plutarchus; Oratio verò est servus Rationis. Utraque multum debet Institutioni.

Ratio quidem puerulis acui nondum potest; Oratio autem maturè debet congruè formari: ne perversè loqui discant, aut balbutiem contrahant, jocis

aut blandiciis: quod nutricibus perquam est solenne. Pronunciationi adsuescant claræ & distinctæ: quia *nunquam, vel rarò, primum pronuntiandi modũ dediscimus.*

Aristoteles tria facit vitiosè loquentium genera: primum quidem horum, qui certam aliquam literam exprimere nequeunt; quos Latini nominant blæfos: alterum verò illorum, qui in pronuntiando literam, seu syllabam prætereunt; quos balbos: quibus Cicero ad Papirium Pætum opponit disertos. Tertium denique istorum, qui verba frequentiore singultu protrudunt; qui hæsitantes nuncupantur. Nullũ ex hisce est, quin pueritia eo, ut infici, ita & liberari possit; vel certè ita corrigi, & cautè occultari; ne foedè existat. Videndum præprimis, ne pueruli præcipitanter loqui consuescant; neque institutor ipse, illis ad rapidam & volubilem sermonis celeritatem, sit exemplo. Sunt enim, ut egregius ille informationis artifex, Johannes Ludovicus Vives queritur, Ludimagistri quidam; qui se pro absolutissimis Grammaticis habitum iri sperent, si cursu quodam citatissimo verba non proferant, sed effundant; quæ res magnam imprudentiam parit in vita; & plerumq; summum dedecus. Mens enim volanti linguę necessariam sensuum copiam suggerere non potest. Atq; ita cogimur vel turpiter tacere; vel absurda & stulta effutire. Quod si hæreamus; nihil est deformius, quàm in illo cursu mora, & diffi-

difficultas illis, quibus omnia videbantur esse plana, seu potius prona. Satius est, ut tarditate, quam celeritate in loquendo peccetur: in tarditate licet sepe, quæ dicturi sumus, præmeditari: in celeritate, vix raro.

De isthac pronunciandi integritate utiliter iterum Hieronymus: *Non sunt, inquit, contemnenda, quasi parva, sine quibus magna constare non possunt. Ipse elementorum sonus, & prima institutio præceptorum, aliter de erudito, aliter de rustico ore profertur. Unde providendū, ne, ineptis blandiciis fœminarū, dimidiata dicere verba soboles consue- scat, & in auro atq; purpura ludere: quorū alterū linguæ; alterum moribus officit: ne discat in tenero, quod postea ei sit dediscendū. Gracchorū Eloquen- tia multū, ab infantia, sermo matris contulisse scri- bitur. Hortensii oratio inter paternos sinus coaluit. Ah! difficulter eraditur, quod rudes animi perbi- berunt. Lanarum conchyliis quis in pristinū candorem revocet? Recens testa diu & saporem retinet, & odorē, quo primū est imbuta. Alexandrum, po- tentissimū Regem, orbisq; domitorē, scribunt & in moribus, & in incessu, Leonidis, pædagogi sui, nō po- tuisse carere vitiis, quibus adhuc parvulus fuit in- fectus. Proclivis enim est malorū æmulatio: & quo- rū virtutē adsequi nequimus, citò vitia imitamur.*

Aloquela, precibus, primùm initianda, transeun-
dum puerulis *ad literarum notitiã*, & *ad lectiõẽ*:
ita tamen, ne opus, sed lusus; ne necessitas, sed volun-
tas, esse videatur.

Possunt figuræ literarum super arundine longa,
in quibus equitant, vel super cubis aut tesseriis scribi;
pueruli quasi per jocum interrogari, & recta literarũ
pronunciatio, nuce, pyro, pomo, vel numulo remu-
nerari. Et hujusmodi quidem stratagema laudato
antè Patri fuit cognitum; qui de eo hunc in modum:
*Fiant filiolo literæ vel buxæ, vel eburnæ, quæ suis
nominibus adpellentur. Ludat in eis, ut & lusus ipse
eruditio sit. Et non solùm ordinem teneat litera-
rum; ut memoria nominum in canticum transeat:
sed & ipse inter se crebrò turbetur; & mediis ul-
tima, primis media misceantur: ut eas non sono
tantùm; sed & visu noverit. Cùm verò cæperit
trementi manu stylum in cera ducere; (loquitur de
modo scribendi tùm usitato; quo super tabulas cera
obductas, styli acumine scribebant) vel alterius su-
perposita manu teneri regantur articuli; vel in ta-
bella sculpantur elementa; ut, per eosdem sulcos,
inclusa marginibus trabantur vestigia, ut foràs
non queat evagari. Syllabas jungat ad præmium:
&, quibus illa ætas deliniri potest, munusculis in-
vite-*

vitetur. Non objurgandus est puer, si tardior sit; sed laudibus excitandum est ingenium: ut & vicif- se gaudeat, & victus doleat. Cavendum imprimis, ne oderit studia: ne amaritudo eorum præcepta in infantia, ultra rudes annos transeat.

O monitum salutare! quod solum in super-habitu, exspectatam nobilium ingeniorum messem in herba exstinguit. Quæ enim causa evidentior, quam obrem haud pauci hastam quasi ante pugnam abjiciant, bonas literas, antequam earum vix ceperint primordia, contemnant, & à sese optent in solas terras longissimè deportatas; quàm quòd ipsis, in fausto certè astro, morosus obtigerit Informator, qui ea austeritate ephebis suis incumhat, & ignarus omnium blandimentorum, tanta molestia literas inculcet; ut pueruli eum, quasi aliquem manducum, aut veluti Saturnum infanticidam, fugiant, & reformident. Summa ope nitidebent Informatores, ut discipulis instillent sui amorem: quod consequentur; si comitate, benevolentia, fidelitate, lætitia super ipsorum diligentia, tristitia super eorundem negligentia, & hujus seminis generisq; modis aliis, imaginem quandam referent parentum. Verissimè enim *Vives: Faciliùs disces, si amaveris docentem: cujus dicta nunquam vel contemseris, vel neglexeris.*

Adolescentes cum *literarum, sive nobilitatem,*
sive

Method

five *utilitatem*, five *necessitatem*, non intelligent; prudenter sunt decipiendi: ut non tam ob ipsas literas, quàm ob Præceptoris amorem, quo excidere horrescunt, addiscere eas videantur. Augebitur verò ita non docentis solùm adfectus; sed & discentis profectus.

Ut ferro non licet attingere fruticem balsami: sic adolescentia non vult regi violenter & tyrannicè; sed doceri, & molli manu tractari: ut de suo aliquid, è suo itinerario, magnus ille FÜRERUS, celeberrimæ hujus Reip. olim moderator prudentissimus, mihi largiatur. Nolumus tamen hæc ita accipi, quasi ad remedia asperiora nunquam sit transeundum; sed hoc tantum volumus; omnia prius tentanda, quàm plagosi Orbilii scuticam arripiamus.

Lectiorem, quantum satis est, perceptam, major cura excipit *Grammaticæ*. Grammaticam dum nomino, facilè colligo, adolescentulis metu exalbescere sanguinem, ipsosque toto corpore contremiscere. Ita enim Grammaticæ præceptis defatigantur, quasi in pistrinum compacti noctes atque dies molere cogantur, Volumen alicubi ipsis obtruditur, visu formidabile, & superstitiosa diligentia ingerunt urea, quorum usus est rarissimus.

Aliis, ut iterum *Vives* quiritatur, *objiciuntur vel exempla solùm, absq; canonibus; vel canones, à qui-*

quib9 excipiuntur plura, quàm ipsi comprehendāt.
Cautione hïc, si ulla in re alia, opus est : ne mollis ætas
absterreatur. Regularum, sive axiomaticum maximè “
necessariorum, pugillus, exiguis utiq; pagellis com- “
prehendi, brevi paucorum mensium spacio explica- “
ri, & declarari possit: rariorum verò, & difficiliorum “
notitia, in ipsam Autorum explanationem rejici, & “
crebra exemplorum repetitione memoriæ infigi. “

Lingua Ebræa longè nobis est ignotior, quàm La-
tina; è qua, licet exemplo Majoribus nostris parū pro-
bato, multa solent, in familiaribus colloquiis, nostræ
vernaculæ immisceri. At quis adeò hebes, adeò obtu-
sus, &

Verevecum in patria, crassoq; sub aëre natus;
ut sex mensibus necessaria Grammaticæ Ebrææ præ-
cepta non possit imbibere? Latina verò quot sibi an-
nos, vel lustra potiùs, deposcit? Quæ causa? Metuo,
ne nimis sit longum, & fortasse etiam tædiosum ac o-
diosum, percensere ac audire; in proclivi tamen, ex
jam dictis perspicere.

Linguam verò Latinam, communem illum omni-
um populorum Mercurium, quotus quisq; nostrum,
ante extremam senectutis lineam, rectè addiscit? cùm
Gallicè, Italicè, Hispanicè, Anglicè, vel stipites etiam
biennio aut triennio loqui addiscant. Nimirum
*solis eam oculis, non auribus, id est, ex libris, non ex
colloquiis & quotidiana exercitatione, comprehen-
dere solemus.*

C

Huic

Huic malo prudenter mederi voluit inclytus laudatissimæ hujus Reipubl. Senatus, cùm legem Gymnasii Ægidiani septimam posuit talem: *In omnibus classibus non aliâ, quàm Latinâ linguâ, utantur.* Liquidò adseveraverim, si ad diligentem Lexici mediocris lectionem (quam mirificè alicubi vir doctissimus, Hieronymus Wolfius, commendat, eaq; unicè adjutum se proclamat) exercitatio, quæ aliorum postmodò Autorum usu roboranda, adjungatur; longè meliùs cum juventute actum iri. Quod cùm rarò fiat; pleriq; nostrũ circa voces consensimus, &, ut rectissimè notat *Petrus Molinæus*, ultra naturæ terminos producimus pueritiam studiis puerilibus. /

Atq; ita contingit, ut, dum memoriam fatigamus, judiciũ neglectũ langueat; & tandem, inter amplam verborum suppellectilem, *velut annosi alphabetarij*, in maxima rerum inopia versemur, hydropicis non absimiles, qui tumore aqueo, pinguedinẽ mētiuntur.

Sed ulcus hoc tangere nolumus.

Porro cùm Latinitati, absq; Rhetoricæ notitia, sua non constet integritas: adolescentes ad eam quoq; erunt maturè adsuefaciendi. Rhetorica autẽ cùm, propter inventionis locos (ut cum Artificibus mihi loqui liceat) Dialecticam desideret: & hæc non prætermittenda: sed utraq; *compendio*, quantũ fieri potest, brevissimo, & absq; ulla controversiarum mentione, sistenda.

stenda. *Nisi enim disciplina quælibet brevibus* “
primùm lineis menti imprimatur : soliditas, & “
perfectio speranda nulla. Eccui bono tam spatiosa “
volumina adolescentulis objiciuntur : quorum initi-
um ac medium, à fine quasi absorbentur ; ut priorum
laborum nulla adpareant vestigia ? Domum exstru-
cturi eam primò delineant ; postea ædificant : eodem
modo & Disciplinæ adumbrari priùs animo , quàm
pluribus ampliari oporteret. Monitum Horatii sem-
per circumsonet aures Præceptorum :

*Quicquid præcipies, esto brevis : ut citò dicta
percipiant animi dociles, teneantq; fideles.*

Disputandi libido adolescentibus , ante iudicii
maturitatem, planè est adimenda : eâ enim, ut præcla-
rè, super Galenum suum , monuit redivivus Germa-
niæ Galenus, *Caspar Hofmannus*, Universitatis No-
ricæ senior venerabilis, & Doctor meritissimus, non
nisi *impudentiæ ludus adolescentibus aperitur* :
& dum audacter omnia negant, quid ipsimet tandem
debeant adfirmare, ignorant.

*Oportet graves & moderatos esse illos, qui ad
disputationis studium asciscuntur : neq; communi-
candum id est ineptis hominibus, & ut nunc fit, o-
mnibus, quoscunq; fors obtulerit* : ut sagax vitæ ci-
vilis scrutator Plato, quondam censebat.

Essent plura, quæ de re hac, non ignobili, dicenda :

M. 4. p. 10
/sed vestra abuti benevolentia nefas duco, paratus ta-
men cuivis poscenti hæc pauca vel melius declarare,
vel pluribus confirmare. /Hoc solùm jam mihi non
omittendum: *Præceptoribus discipulorum suorum
ingenia sapienter esse perscrutanda: non quidem
semper è signis externis corporis; sed nervoso exa-
mine memoriæ, sedulitatis, industriæ, ratiocinationis.*

Signatè enim Seneca: *Potest ex casa vir magnus
exire: potest & ex deformi humiliq; corpusculo for-
mosus animus, ac magnus. Et est, ubi sub virginea
& miti facie, barbara atrox, & ferina prorsus la-
teat immanitas,* ut loquitur Coelius Rhodiginus.

Observanda hæc sunt: ne vel eadem omnibus, vel
uno eodemq; modo proponantur.

Quod quàm studiosè Aristoteles, ejusq; in Peripa-
to successores inculcaverint; ostendit accuratissimus
Altorfinorum Piccartus, Philosophiæ Peripateticæ
interpres olim, & propagator felicissimus.

*Altorfinorum
Piccartus*
Sunt quidam adeò distorto ingenio, ut aptiores ad
Musarum sacra non sint, quàm pecora Arcadia ad ci-
tharam. Illi à studiis paulò altioribus in tempore arce-
antur: ne dehonestamenta sint ordinis literarii: cùm
non recipiat egestas animi eorum, sublimem Erudi-
tionis majestatem, tàm gravem, tàm severam. Alii non
quidem sunt inepti, attamen tardiores: qui placidè
instituendi; ne animum despondeant.

Bre-

Breviter: *Ducendi quidam, & quidam trahendi:*
quæ duo qui nescit discriminare; ille juventuti for-
mandæ manum non admoveat: qui verò callet; ille
erit mihi magnus Apollo.

Et tales quidem omnium amore & favore dignissi-
mi. Si quis verò eosdem adspernetur: quid facit aliud,
quàm quòd soli orienti; ut quandam Libyæ gentem
facere accepimus, convicium faciat?

Et ipse hic cōtemptus in causa, quòd erecti & generosi
animi malint in extremam aufugere Japoniam; quàm
muneri Scholastico, nobili aliàs & unicè necessario,
adligari; contrà verò alii, qui præ inertia, aut ingenii
tarditate, cætera studia desperarūt, unde aut ambitio-
ni, aut avaritiæ velificari potuissent, sæpiùs adolescen-
tibus rectè formandis præficientur, &, si fucū incau-
tis facere, & fumum vendere norint, publica autori-
tate maximè æstimentur. Quid verò rectè doceat ille,
qui ipse nihil benè didicit? Hei! perditissimos homi-
num mores, qui tantam rem tam negligenter agunt,
quæ una primum, & medium & ultimum obtinet, in
omni vita: ut benè Cheroneus statuit Philosophus.
Agendum denique esset de cura, quam ipsi parentes
cum publicorum Præceptorum sollicitudine deberēt
conjungere; sed abrumpendum: modò hoc priùs ad-
diderimus: primam illam liberorum institutionem,
ad maturefcentem usq; ætatem, tutiùs in ipsa patria
adornari. Quod Plinius junior his verbis innuit:

erudiantur, ubi nascuntur: Veterum Romanorum consuetudinem improbens, qui magno cum valetudinis ac morū dispendio, filios suos in Græciam emittebant. Ubi enim liberi pudicius, quàm sub oculis parentum, continebuntur? ubi accuratius? ubi minore sumtu? ubi salubrius educabuntur? Quod probè secū pensitavit Plato, prohibens: ne cuiquam adolescenti, nondum plenos alicuj9 prudentiæ annos adepto, longiùs à patriæ finibus, peregrinari liceret. Sacra enim auri fames crebrò eos quoq; seducit, qui adolescentiæ omnes seductionum vias debebant occludere; ut, posthabitis omnibus parentum adhortationibus & precibus, magis ament oculos, quàm animos liberorum. Hinc, qui abibat obsequentissimus filiulus, redit detestabilis filius. Opiaculum, nulla hecatombe expiandum! Meditari secum debebant boni isti viri illud B. Lutheri: *gravius esse peccatum, adolescentem corrumpere, quàm virginem vitiare*. Quapropter hoc potius studere deberent, ut ipsorum vita esset viva virtutum schola, & juvenus non literis solùm & artibus; sed pietate etiam exornaretur; quàm ut pravo exemplo alii ad improbitatem instigarentur. Sed quando tandem dicendi filium præcidam?

TU Deus Israël, Tu princeps pacis, & autor
cujuscunq; boni, frange arma, arma, arma po-
tenti

frange

frange manu, & cælum post nubila densa serenum
redde. Urbem hanc, Patriæq; Patres cum civibus
Cælesti virtute tua, cumulisq; bonorum, (imple
facq; habitare illos sub ficu & vite feraci.

Vos verò, mihi qui vacuas attentius aures
præbetis, quali vos carmine gratus honorem?

Vos, quos extollit generosus ad æthera sanguis,
& calcata diu virtutis semita a vitæ:

Vos, quorum in scapulas Respublica tota recumbit,
consiliisq; sacris gens tam numerosa quiescit:

Vos, quibus æternæ concredita cura salutis,

Vos, quibus æternante datum est Virtute micare,

Vos, quoscunq; mei favor huc pellexit amorq;

Quæ merita infinita mihi, nil tale merenti,
plena & felici dextrâ collata rependam?

Dux, Fûrere, Virûm, Patriæ pater atq; columna;

Holtzschuëre, tui FÛRERI dulcis Achates,

digne senis Pylîj qui transgrediare senectam;

Spes, Grundherre, Urbis, quem templa scholæq;

salutant

Patronum; ô Triga inclyta & extollenda Virorû!

Vos Mecænates, Vos præclaro ordine Patres:

Quo benefacta metro, vel queis Vos laudibus æquæ?

Vobis & vestra sacer, & sum debitus Urbi.

Quic-

Quicquid in hoc animo, sive hoc in corpore quicquid
Virium erit, Vestrum illud erit Vestrisque dicatum.

Ex hac Urbe mihi puero, orboutroque parente,
auxiliante manu subventum, oleumque lucernæ
extinctæ adfusum est. O terque quaterque beatas
Vos animas; partim Cœlesti sede receptas,
partim his in terris Christi vexilla sequentes!
perpetuò benè sit Vobis; quòd diu vite dextrâ
promptè occurristis. Mea sic letata Camæna est;
Et rediere artes: Altorfinoque Lyceo
præmonstrata via erranti, qua me quoque possem
tollere humo, Et dextrum callem Virtutis inire.

Hæc Et plura jubent Vobis mea, meque sacrare.

Hujus semper ero laudatæ debitor Urbis.

Vivite Cœlestis tuti Custodis in umbra,
Vivite bellorum expertes, ac pace beati.
Vos, quicumque sacro Baptismi è fonte Johannis
nomine gaudetis festo hoc, implete calentis
vota animi, Et lucem hanc revidete faventibus astris.

Stet Noriberga, Dei defensa potente benigni
præsidio: vigeat longis innoxia sæclis.

Dogmata diu sonent in templis: Curia præsit
Justitiæ, Et ditet benedictio cœlitus urbem. (VÆ.

Stet Noriberga, manu æternùm servata JEHO-
GEOR-



GEORGIUS RICHTER JC.

*Viro Reverendo & Excellen-
tissimo,*

DN. JOHANNI MICHAELI

DILHERRO, suo: Theologo, Oratori, Hi-
storico, & Poëta inter paucissimos, amico
honoratissimo.





Ujus absentis amorem fama mihi
conciliavit, eum præsentem, quod
optavi sæpius, quum videre nunc
tam feliciter mihi contigit, non po-
stremam felicitatis partem habeo. Auget præ-
sentia famam. Quem enim antehac literis lo-
quentem in delitiis habui, ejus nuper eloquen-
tiam Tullianam, verborumque fulmina audivi
cum stupore. Superbit Gallia suo Salmasio,
Italia Thomasio, Belgium Heinsio; quidni
Germania Dilherro? Sed ne adulationis suspi-
cione evilescat, quod sincerè virtuti tuæ debe-
tur rariori, malo laudes Tuas silentio venerari,
D quàm

quàm impari oratione imminuere. Quanto pe-
rè me familiarius conversando, aliquoties nunc
affeceris, heri præsertim in cœna, quæ etiam al-
tero hoc die delectat, frustra sim, si verbis ex-
primere velim. Nunquam nisi vel doctiores
vel meliores nos dimittis. Ex quo perpetim
Tibi convivere, si liceret, optaremus maximè.
Sed quod rerum nunc Tuarum status denegat,
mutuo affectu, spero, omni tempore locoque
supplere interim perseverabis. Vale. Depro-
perabam pridie festi divorum Petri & Pauli.

clō. lo. cXLII.

ODIL.



 *DILHERRE, meis oculis mihi carior,*
immò

Carior hòc, si quid carius est oculis,
gloria cuiq; sua est; sed tu punctum omne tulisti
nuper, ubi è rostris conspiciendus eras,
tradebasq; modum, quo prima Puertia posset
sanctas & facileis Artium inire vias.
Sic, Duce te, DILHERRE, Scholæ meliusculè
habebunt.

Sic Pietas prisco stabit honora loco!

ὁκτὲ ᾠδὴ ἀρχαῖα

f.

Joh. Saubertus.

F I N I S.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

DILHERRE, man oculis mihi carior

1666



Carior hoc, si quis carius est oculis,
gloriam suam esse, sed tu caritatem omnem tuam
super me habes, et hoc est, caritatem
et debent, modum, propriam, ut caritas possit
facile et facilius, et in caritatem
Sic Duce re, DILHERRE, Schola meli, scilicet

Sic Pietas p[ro]f[er]at habitum honorem loci

Joh. Saubertus

F I N I S